DE ARTHRITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINÆ...

Giovanni Battista Arrivabene

DE ARTHRITIDE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM ASSEQUENDAM

PROPOSUIT

JO. BAPT. ARRIVABENE

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLII.

TU O PADRE

CHE ETERNO VIVRAI

NEL MIO CUORE

QUESTO OMAGGIO ACCOGLI

Antequam philosophiae studium incertam observationis rationem dissiparet, medicorum fere omnes convenerunt, nomine arthritidis morbum peculiaris indolis intelligendum esse, qui, praegressis turbis functionum organorum digestionis et chylificationis, cum impedita bilis vel indole peccantis excretione incedit, in quo simul, restricta cutis perspiratione, lotium salibus phosphoricis et uricis destitutum mittitur: cui ad certum gradum evoluto febris atque articulorum inflammatio associantur, sub cujus denique decursu organismus magnam in morbosas secretio-

nes kali phosphorico et natro urico scatentes pronitatem praesefert, donec evacuationibus criticis articuli materia hac irritante arthritica liberentur.

Nil ergo mirum si, juxta hanc arthritidis imaginem, arthritis a P. Frank referebatur ad retentiones; inter nevroses adnumerabatur a Boerhaave et Villis, inter cachexias ab Hufeland et Choulant. Denotat igitur arthritis affectionem eminenter phlogisticam articulorum.

Inter causas disponentes, quae morbi evolutioni favent, recordamus dispositionem congenitam, habitum, quem dicunt pathologi arthriticum, aetatem virilem, temperamentum cholericum, sanguineum, habitum scrophulosum et rhachiticum. Ad momenta excitantia pertinent: vita luxuriosa, abusus carnium animalium saginatorum, casei, abusus spirituosorum: lepide et perbelle Borley ait: « Bacchus est pater, Venus mater et ira obstetrix arthritidis. » Pertinet vita sedentaria; sudoris, haemorrhoidum et catameniorum suppressio, motus excessivus, frigus, constitutio atmosphaerica.

Causam proximam arthritidis ex acrimonia sanguinis atrabiliari Stollius derivandam esse docuit, quae acrimonia irritando arterias febrim et morbum articularem producit: sed istae sanguinis

acrimoniae omnem perdiderunt fidem; Darwin hepatis torporem assumit, cujus involucra inflammatione correpta vicario modo partium articulos circumdantium inflammationes producunt. Quisquis, in arte medica rudis, aestimet pretium opinionis, quae torporem et inflammationem hepatis, eadem hora vigentem, assignat pro morbi causa. Interdum morbi evolutionem prodromi antecedunt, qui morbi cujusvis proprii sunt; interdum nulli. Frequentissime aeger post coenam lautam obdormiens subito excitatur febri, pulsus est durus ac vibrans, sitis intensa. Cum febri junctus incedit dolor articulum morbo prehensum excrucians, urens, pungens, pulsans, continuus vel intermittens. Articulus calet, rubet et quandoque tumet: musculi partis adfectae non raro jam in principio, ut plurimum tamen sub decursu morbi, contrahuntur ita ut membrum rigidum evadat, nec extensionem nec reliqui corporis motum sine doloris exasperatione admittat.

Primis diebus formatio tumoris contingit, sudor raro observatur, saltem pars dolens semper sicca tangitur. Urina indolem inflammatoriam retinet. Diebus insequentibus febris crisibus mox recensendis, sub quibus et reliqua morbi symptomata sensim disparent, terminatur: vel exa-

ctius et rigorose loquendo, cum morbus ad salutem redeat, post se trahit crises. Sudor, qui omnem insultum febrilem insequitur, universalis in primis in parte adfecta sat largus comparens, odoris est acidi, tantum saepe continens phosphatis calcis et sodae uricae ut interdum in massam firmam convertatur. Urina critica sedimento albo aut lateritio notata multis et iisdem ac sudor scatet salibus et adeo acris nonnunquam observata est, ut vitrorum, in quae missa fuit, fundum corroderet, odorem intolerabilem alcalinum spargeret. Nonnulli viderunt in parte adfecta miliaria, aphtas oris et urticariam.

Morbus interdum paroxysmos habet, qui nunc regulariter nunc anomale decurrunt. Observandum tamen hic est, quod et tempore intermissionis morbus adsit: inflammatio enim processus est vegetationis, qui cum una vice locum habuerit, perpetuo haeret, donec cursum absolvat: hinc intermissio, stricte loquendo, remissionem potius denotat quam perfectam ablationem phaenomenorum. Paroxysmo arthritidis superato aegri quandoque pruritu intolerabili in primis inter digitos pedum extorquentur, et epidermis elevata sensim defurfuratur. Post paroxysmum adpetitus cibi, digestio et hilaritas animi redeunt.

Insultus jam citius, jam tardius manifestantur: in genere sub exordio post longa intervalla, quandoque post annos, dein vero frequentius, in primis vere aut autumno revertuntur. Sub insultibus frequentius redeuntibus vehementia dolorum decrescit, febris plenarie evanescit: articuli interdum prius incolumes morbo corripiuntur simultanee aut alternate divexantur, insultus longius excurrunt, et magis irregulares evadunt, vel tandem lente morbus resolvitur. Ordinario post quadraginta dies arthritis decedit, cum tamen morbi duratio omnino inflammationis intensitati, curae promptitudini, aegri constitutioni aliisque momentis subjecta sit.

Hic est decursus communis: saepe arthritidi phaenomena sociantur peritonitidis, gastritidis; inflammatio pleurae, pericardii et aracnoideae quandoque practicis occurrit.

Divisionem arthritidis pathologi proposuerunt: ratione originis dixerunt hereditariam et adquisitam; respectu decursus acutam et chronicam; quoad typum regularem et anomalam, secundum formam manifestam et larvatam. Respicientes membra adfecta nuncuparunt podagram, comparentem in halluce pedis, a quo inflammatio per reliquos digitos, per dorsum pedis, per plantam

versus calcaneum, subinde per crus extenditur: gonagram in articulatione genu occurrentem: chiragram in carpo et metacarpo digitorum manus: omagram in articulatione scapulae et brachii: coxagram in articulatione femoris cum acetabulo: cephalagram in capite, lumbagram in vertebris lumborum etc.

Sectio arthriticorum cadaverica crassitiem articulorum patefecit, adhaesiones, secretiones fribrinosas, anchyloses, indurationes: detexit injectiones pleurae et pericardii, istorumque serosas effusiones: lithiasim invenit in arteriis majoribus, calculos in vesica urinaria, exsudationem inter meninges cerebri et medullae spinalis. Ex natura phaenomenorum, ex genio causarum et vestigiis, quae anatomes pathologica observavit in arthritide peremptis, indoles morbi eminenter inflammatoria declaranda est. Sedes morbi est articulus, quae perinde ad alias extenditur corporis provincias: hinc ligamenta, capsulae articulares, synoviales, musculi articulum circumdantes et musculorum vaginae praeprimis excruciantur. Plures inter antiquos et nonnulli recentioris aevi arthritidis inflammatoriam indolem vehementer impugnarunt. Nonnulli dixerunt, quod tumor desit in arthritide: constans autem chara-

cter inflammationis est tumor. Observari hic meretur, quod capillaria articulorum interne aperiantur, hinc difficilius externe tumor visibilis sit: in plurimis tamen casibus praeter tumorem et ruborem videre fas est. Alii opposuerunt fugacitatem insultuum arthriticorum. Fugacitas haec nonnisi a levitate morbi pendere potest, qui, cum profundius eradicatus sit, cursum et parabulam suam absolvit, etsi ars potentissime agat.

Mirum est quod vir celeberrimus Italiae nostrae, profundo ingenio donatus, Pucinotti naturam phlogisticam arthritidis oppugnet, et ad morbos exhalationum hanc releget affectionem, ut distinxit in sua pathologia inductiva.

Frigus, illustris clinicus Pisae ait, corpora sudori prona inveniens, contractiones fibrillares excitat et sudorem supprimit, qui sudor rheumatismi et arthritidis causa est.

Manifeste patet, quod Pucinotti laesionem functionis pro organo laborante usurpet: suppressio sudoris nil aliud est nisi abnormitas vasorum exhalantium, et morbus ipse in vasculis quaerendus est, quae huic invigilant functioni; ita menstruorum suppressio quae interdum ex chlorosi locum habet, vasorum uteri affectionem denotant. Mos hic morbum quaerendi non in laesa fun-

ctione, sed in organis ipsis, philosophiam medicinae nostrae altissimam distinguit. Aliae referebantur a Pucinotti oppositiones, quarum summam et virtutem acutissimo examini subjecit celeberrimus Tommasini; tantaque adest sagax et victrix argumentandi facultas in Clinico Parmensi, ut spem alere liceat, quod Pucinotti opinionem suam refellat et indolem inflammatoriam arthritidis amplectatur.

Nec silentio praeterire debemus humorem illum, qui quondam famam in scholis accepit: humor iste a clarissimo Redi inventus fibras et arteriolas penetrat, acriter tangit et arthritidem parit.

Inventio Redi non adeo mira est, qui cum summus esset poëta, necessario venustis phantasiae somniis lasciviens ingenium reliquit: mirum quidem est, quod nothus humor iste mentes profundiores exagitarit, et intellectum exercuerit.

Quod si argumentis, quae indolem arthritidis demonstrant, auctoritatem, veluti ornamentum, addere volumus, plures invenimus, qui huic indulgent officio.

In aphorismo 28 Hippocrates, qui, ut referunt, magnus fuit observator, ait: mulier podagra non corripitur, nisi ipsam menstrua defecerint.

Haec menstruorum defectio, neglecto morbo, qui primitus defectionem promovit, summam stimulorum augere debuit; hinc facilis morbi, indolis hypersthenicae, evolutio. Galenus, Paulus Aegineta, Celsus, Scudamore, Sydenham et Cullen pro inflammatorio arthritidis genio pugnarunt. Brown ipse, qui tot morbos inflammatorios in dictatorio debilitatis indirectae dominio constituit, phlogisticam adpellavit naturam arthritidis.

Nonnulli mirantur quod arthritis remotas afficiat regiones organismi, et a longinquo nunc pleuram nunc pericardium aggrediatur.

Si medici universas partes ejusdem fabricae per corporis regiones diffusas ut organum unum considerarent, et leges ac elementa pathologicae diffusionis magis excolerentur, plana et philosophica esset phaenomenorum explicatio, hinc arthritidis saltus, quos risorie ignorantia detractatur, conditionem haberent in rerum natura.

Sunt qui differentiam inter arthritidem, rheumatismum et guttam sistunt. Indoles morbi in omnibus semper eadem est: diversitas partium, quae a singulo morbo eliguntur, diversitatem quandam symptomaticam praesefert: hinc varietas formae nosologicam differentiam explicat.

Quoad guttam vero monendum habemus sedem

hujusce affectionis esse capsulam synovialem: indoles textus et ratio obscura, qua phlogosis accenditur non adeo manifestiora signa dat aegris ut lecto decumbant et immediate praesidium exoptent: hinc levis phlogosis aegrorum quasi attentionem effugit: si vero stimulus quidam altior agat, inflammatio exardescit, et accessus guttosus adest, quo fugato, novitus inflammatio fere insensibilis evadit: hinc plures repetuntur paroxysmi, et gutta longissimum decurrit tempus, donec systema vasorum, membranas ejusdem naturae aliaque organa, ut diximus, in compassionem trahit.

Arthritis est morbus difficillime curandus, quin tamen vitae immediate insidias struat. Non raro ad canam usque senectutem protrahitur. Ad rite definiendam prognosim oportet aetatem, constitutionem aegri individualem, causas occasionales, formam arthritidis, simplicitatem aliasque circumstantias accidentales rite perpendere. Arthritis regularis, qua viri constitutionis robustae et in pleno aetatis flore versantes vexantur, laetiorem admittit prognosim arthritide feminarum et individuorum debiliorum. Arthritis adparens ante 30 annum, prodromi diu antedecentes, insultuum inordinatus regressus, intermissiones non clarae,

mutationes habitationum frequentes tot sunt momenta periculi plena. Arthritis congenita incurabilis esse dicitur. Aestate et caelo sereno, sicco atque calido arthritis facilius quam oppositis conditionibus tollitur. Arthritis acuta regularis minus periculosa est quam chronica: nodi arthritici et concretiones resolutione exoptata raro sufferuntur. Respectu partium adfectarum cephalagra et gonagra pejorem dictant prognosim quam chiragra et podagra. Si febris mitis est et phaenomena localia leviora, sola quies et diaeta antiphlogistica sufficiunt. Si morbus vero vehemens sit, si notabiles ad encephalum, ad pectus praesto sint congestiones, si pars morbo correpta magnae est dignitatis, venae sectiones generosae instituendae sunt. Si morbo socientur gastrica phaenomena (arthro-gastritis) oleosa eligenda purgantia sunt. Interdum febris est indolis septicae et nervosae: hinc practici spectatissimi ad remedia stimulantia confugiunt: quid vero in tanta nervosa passione agendum sit, omnes intelligunt medici, quibus observatio diligens et recta investigandi ratio dux est. Praeter purgantia et venae sectiones antimonialia frequentissime a medicis usurpantur. Sulphur jam a Dioscoridis temporibus qua praestantissimum remedium praedicatum fuit; potentius

agunt copulae sulphuris cum alcalibus uti hepar sulphuris alcalinum. Unum e praestantissimis, quae quondam dixerunt anthiarthritica, est guajacum; ipsa assa foetida in connubio cum guajaco medicorum vota explet. Colchicum, aconitum et dulcamaram alii celebrarunt: ex usu digitalis prodigia vidit Gapper. Quaren opium damnavit, ut dolor compesceretur, et alcoholica, ut sudor excitaretur. Nonnulli ex magna utilitate, quam a camphora et ferro experti sunt, arthritidis indolem asthenicam crediderunt: quaenam vero sit vis camphorae et ferri omnibus patet.

Praeter haec interne sumpta, et externe quidem agendum est. Hinc hirudines ad articulum, glacies commendatur a Galeno, Loubet, Villiam, Baldingher, Giannini, Gherardi et Tommasini. Balnea frigida insignem virtutem ostendunt, proficuae sunt thermae naturales vel artificiosae, sed frigidae. Quidam inunctiones celebrarunt e tartaro emetico prius in aqua chemice soluto, et dein axungiae admixto, ut pustulae evitentur. Alii proposuerunt inunctiones hydrojodatas, mercuriales, saponato-camphoratas. Forsan praesidium egregium erit linimentum ammoniacale, si certiora experimenta vim suam expromerint.

Diaetetica tractandi ratio communis est, quae

morbis inflammatoriis pertinet. Sicuti vero arthritis in aulis vel maxime grassatur, huic disceptationi finem imponentes, praeceptum tradimus, quod Darwin excogitavit «Lectus plumarum mollitie nimis calefaciente noxius est, et equitatio arthriticis magis convenit quam vectio in curru.»

THESES DEFENDENDÆ

I.

Materies non datur absque vi et vice versa.

II.

Menstruorum defectio chloroseos effectus non causa.

III.

Nicotianae fumi abusus tracheitidis evolutioni favet.

IV.

Tetanus saepissime a spinitide pendet.

V.

Absurdum est stomachi languores a debilitate semper derivare.

VI.

Repraesentans vitae systema nerveum gangliare.

VII.

Diathesis asthenica cum morbis irritativis conjungi potest.

VIII.

Varietas dolorum a specifica partium organisatione pendet.

32